Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.
Wien, 1794 Seite 2563
Quelle:
Copyright:

fuit lumen tocius ecclesie de proprietarijs monachis et monialibus. Initium: *Pro salute eorum qui vicia fugere cupiunt, cum ad viam veritatis reformati fuerunt* &c. Jam indicatus *Cod.* XC. quo te, si lubet, refer.

III. *fol.* 61. *Subscripta sumpta sunt ex tractatu magistri Johannis* (sic rite, sed Librarius perperam *Nicolai* superimposuit) *Nydder, qui dicitur formicarius L. 1. c. 3.* Accedunt alia Excerpta *de summa Vlrici L. 6. tract. 3. c. 10. de incendijs et partu supposito aut per adulterium generato. §. Mulier vero.* De hac *Summa* inedita F. *Ulrici Engelberti de Argentina* O. P. fuse agitur in *Scriptt. Ord.* T. I. p. 356.

IV. *fol.* 66. *Subscripta per modum consilij data fuerunt cuidam persone tristi in tribulacionibus.* Initium: *Non turbetur cor vestrum. Job. 14. Potest bene quidem in virum eciam perfectum et sanctum cadere tristitia* &c. Ad calcem: *Jo. tinctoris sensit.* Vir hic a duobus Ὁμωνυμοις *Brabantino* et *Gunzenhusiano* distinguendus claruit et scripsit in Academia *Coloniensi* versus medium Sec. XV. Vide *Harzhemii Bibl. Colon.*

V. *fol.* 67. *Questio determinata per magistrum B.* (ernardum) *de R.* (eyda) *in vniuersitate colonien.* Quaeritur: *Utrum in aliquo monasterio feminarum liceat recipere aliquam feminam nouiciam ultra numerum personarum que de bonis monasterij commode sine penuria possunt sustentari et a persona recipienda oblatis gratis spiritualibus exigere temporalia?* Audita utraque Parte acceditur adfirmanti. Nihil de Autore in *Biblioth. Colon.*

VI. *fol.* 71. Ejusdem Decisio Quaestionis: *Utrum dicta in sacramentali confessione sub pena peccati debeant celari sic quod nequaquam liceat ea quoquo modo reuelari.* Distinguit Autor inter ea, *quae cadunt sub sigillo confessionis directe uel ex conuenienti,* et inter ea *que subsunt sigillo secreti.* Illa nunquam, haec in quibusdam casibus revelari posse.

VII. *fol.* 78. p. 2. *Ex secunda secunde sancti thome. q. c. art. 6. per totum.* De Simonia. Item: *in 3ª Parte.* De Absolutione Sacramentali.

VIII. *fol.* 81. p. 2. *Predictam Collacionem publicauit magister Jo. Tinctoris sacre theologie professor eximius Colon.* Agit de cultu Diei Dominicae et incipit: *Circa declarationem 3ij precepti decalogi videlicet. Memento ut diem sabbati sanctifices* &c.

IX. *fol.* 85. *Sermo synodalis magistri bernhardi de Reyda.* Initium: *Reuerendi Patres et domini prelati pastores et ecclesiarum Curati hic in christo ad presens congregati prout pia mater ecclesia spiritus sancti edocta constilio hoc saluberrimum fecit institutum* &c. Expenduntur et adplicantur Clero verba *Matth. 25. Venite benedicti Patris mei, possidete regnum.* Ad calcem: *Indulgencias consuetas vobis pronuncio In nomine patris et filij et spiritus sancti. Amen. Coloniam* pertinet.

X.